

bræ in aere, ignorantia in intellectu. Ex huiusmodi priuationibus potest fieri regressus ad habitus.

5. Distinguendum hic inter nihil priuatiuum & negatiuum. Nihil priuatiuum significat absentiam habitus in subiecto quod superest, vt, cæcitas est amissio visus in oculo. Nihil negatiuum significat totalem abolitionem habitus cum subiecto, vt, illi oculus effusus est.

#### E Comparatis paribus.

1. Si parium vnum est, erit & alterum. Et contra: Si parium alterum non sit, nec erit reliquum.

2. Si duo æque sunt, v: l non sunt talia, & vnum est tale, etiam alterum erit tale, vt, si ratio & experientia æque sunt necessaria Medico, & eidem experientia maxime necessaria est; sequitur etiam quod ratione carere nequeat.

3. Si vna res duobus par ratione conueniens, alteri insit & conueniat, etiam reliquo inerit. Si vero alteri non insit, nec reliquo quidem inerit.

4. Argumentum à pari, adhibetur ad declarandum thema simplex, cum ostenditur, cuius thema illud sit par.

#### E Maioribus.

1. Si id inest, quod magis inesse videtur, etiam illud in. rit, quod minus inesse videtur, & contra. Ratio est; Quia posito maiore, ponitur minus: Et cui maius tribuitur & competit ei magis tribuitur & competit etiam minus. Item, quod in re maiore valet, id multo magis valebit in minore.

2. Qui potest maius, is multo magis potest minus. Sæpe, Qui potest prestare & efficere rem maiorem; Is multo magis poterit prestare & efficere rem minorem. Vel: Qui potest difficilius, potest etiam prestare facilius. Deus dedit nobis corpus & animam: Ergo multo magis dabit vestitum, cibum, potum & similia.

3. Quod in re maiore non valet, cum quidem magis probabile seu verisimile sit valere; non valebit etiam in minori.

4. Quod maius est maiore, etiam minore maius est. Vt, si Europa maior est Gallia, erit etiam Gallia maior Lutetia.

5. Quod magis alicuius proprium est, preferendum est ei quod minus proprium est. Sic intellectus in homine magis proprium est, quam sensus. Ergo is ad hominis essentiam magis pertinet.

6. Quod plura bona includit, præstantius est eo, quod pauciora. Sic beatitudo cælestis præstantior est civili.

7. Quod diuturnius est, præstantius est eo, quod breui durat spatium: Sic amicitia honesta diuturnior est, quam utilis. Ergo & præstantior.

8. Propter quod vnumquodque est tale, illud magis est tale. Non valet tamen regala  
in iis,